

H. lit. biogr.

2939

Hist. Letter, part. 1992. biogr. V, 2939


o(b) 80

HG-FB

SUB Göttingen  
111 357 004

7





M E M O R I A

FRIDERICI BENJAMIN OSIANDRI

I N.

CONSESSU SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM

D. X V. JUN. M D C C C X X I L 1822

C O M M E N D A T A

A B


J O. F R. B L U M E N B A C H.

---

G O T T I N G A E

T Y P I S H E N R I C I D I E T E R I C H.

LIBRARY  
HEDBERGII BENJAMINI OSVINDI



**E**st inter veteris Latii inscriptiones sepulcrales in primis vna brevis ea sed animum mouens, ad viam Appiam his verbis concepta:  
**T. LOLLIUS T. LOLLI F. HIC PROPTER VIAM POSITUS UT DICANT  
PRAETEREUNTES LOLLI VALE.**

Congruum hoc cogitanti homini votum ut toties eius varia occasione data memini, ita et viuidissime obuersabatur animo cum triste mihi incumberet officium collegae desideratissimo hodierno confessu elogium dicere, cui quidem ea voluntate satisfacere studui, ut et auditores, et si qui olim etiam sint lectores, itidem eodem pio et beneuolo animo dicant OSIANDER vale.

Et quidem huic negotio non imparem censem, qui norint me optimo viro per 30 fere annos non collegiali tantum verum et arctiore et amicissima familiaritate coniunctum fuisse, ita ut de indole et ingenio eius, aequa ac de studiorum suorum ratione qua ad tantum in arte quam exercebat salutifera

fastigium peruenit, quo de disciplinis quas profitebatur et tam scribendo quam docendo illustrabat, aequae ac de yniversitate nostra litteraria et nobili eius cui praeerat instituto obstetricio, — tum et quod proxime ad nos attinet, de sodalito nostro, commentationibus in confessu societatis statuto ordine et religiose recitatis, multimode et impense meruit, — vt inquam de his si quis alias candide et vere referre me posse confidam.

Natus est, cuius iacturam lugemus FRID. BENJ. OSIANDER anno superioris seculi 59° Zellis Würtenbergiae, patre Jo. RUDOLPHO, postmodum archidiacono Kirchhemensi, matre ex stirpe ZEYERIA, filia diaconi Eßlingensis.

De iuuenili eius institutione hoc praesertim commemorare liceat quo quidem artis salutaris studiosis tanquam exemplar ad imitandum proponi poterit, quod nempe mature iam gustu et amore latinae linguae imbutus fuerit, cui praesertim antequam academiam peteret in coenobiali schola quae Denkeldorfii floret, strenue operam dabat, et haud vulgarem eius peritiam inde partam senioribus adhuc annis, vt in aliis scriptis latine exaratis ita et in docto et passim festiuo epigrammatum opere comprobauit \*).

Postquam studio medico cui se iam a prima iuuentute vouerat, tam in patria Tubingensi academia quam in Argora-

---

\*) Praeter alia vero quae iuuenem medicum studio suo aptiorem redundunt, graphicae quoque imo et plasticae arti subsecuas impedit horas et utilia postmodum in utraque arte specimina, tum iconum ad illustranda scripta sua delineatione, tum et hysteroplasmatum figurentione exhibuit.

tensi sedulo incubuerat, et in primis arti quoque obstetriciae operam dederat, a. 79<sup>o</sup> Kirchhemium reuersus, praxin medicam exercere cepit.

Degebat ibi tum temporis vir memoratu dignissimus, Georgiae nostrae Augustae ante hos 70 annos alumnus, Baro DE PALM, in otio quo frui fortuna ipsi concesserat minime otiosus et bonarum litterarum, in primis latinorum auctorum classicorum studiofissimus, idemque in indigos bene merentes clam et occulte sed largiter beneficus.

Hic, postquam OSIANDER nosier \*) in eius notitiam venerat seque huic Maecenati maxime eodem latinae linguae amore commendauerat, et quod artem salutarem quam profitebatur cum politioribus litteris coniungeret, auctor ipsi suasorque fuit et sumptus eo fine praebebat, ut adhuc vnam alteramue celebrem in Germania scholam obstetriciam frequentaret.

Petit eo fine Cassellas ubi per quinos continuos menses instructione et familiaritate Gai Wm STEIN sen., celebris ea aetate magistri obstetricii, itidem ex schola Gottingensi profecti, vtebatur.

Dehinc in patriam reuersus per decennium non artem solum felici cum successu exercevit verum et scriptis ad eam facientibus litterato orbi medico tam laudabiliter innotuit ut a. 9<sup>o</sup> post discessum FISCHERI quondam nostri qui hactenus hospitio obstetricio praefectus erat, in eius locum huc euocaretur.

Et quidem hocce Xenodochium iam anno superioris seculi 51 minore quidem tum temporis modulo institutum, eatenus in

\*) Qui et post fata PALMI memoriam eius grato animo in promptuario Hannouerano a. 1819 p. 993 - 1026. recoluit.

in historia artis obstetriciae memorabile dicendum est quod tunc in Germania primum fuerit non tantum informandis matronis obstetricibus sed maxime erudiendis iuuenibus medicinae studiosis destinatum \*).

Postquam vero a. 85 Regis ordinumque prouincialium munificentia nobile quo iam Georgia Augusta gaudet obstetricantium hospitium exstructum esset, primus id habitauit et instituit OSIANDER \*\*) qui quidem, quam impense et multifarie tam longa annorum serie exemplari assidua et sollicita directione eius tum docendo et circiter ter mille tironum medicorum in arte sua instruendo, tum eam et admiranda in eius exercitio dexteritate et inde pendente securitate matres et earum partus seruando reipublicae et humanitati profuerit, vel exinde computare licebit, quod ex octogenis et saepius centenis puerperis quae quovis anno partus suos in hoc Lucinae sacrario enixa sunt saepe per integros annos ne vna in eo hospitio obiuerit, maxime vero ex eo, quod per sena illa quibus eo profuit Iusta, nunquam crudeli multorum artis obstetriciae magistrorum encheiresi, aut partum adhuc in alio materno haerentem dissecare et exenterare aut caput eius perforare et excerebrare \*\*\*) aut brachium auellere necesse duxerit, contra vero forcipis a se perfecti, quem manus suas artificiales

---

\*) Cf. OSIANDRI *Denkwürdigkeiten*. T. I. introduct. p. XL.  
et EJ. *Geschichte der Entbindungskunst* p. 454.

\*\*) Cf. *Denkwürdigkeiten* I. c. p. LVII.  
et cl. SAALFELD *Geschichte der Univers. Göttingen v. 1788-1820*,  
p. 452.

\*\*\*) Inprimis vero perforationem capitis proni, versione nascendi infantis in pedes vitare docuit, et saepe eam encheiresi felicissimo cum successu ipso capite praevio iam in aperturam pelvis superiorem incuneato, exercuit.

appellare solebat, tempestiuo et cauto adminiculo innumeros partus ex difficultibus faciles reddiderit.

Verum praeter forcipem hunc, qui, ut alia quibus se commendat commoda taceam, in primis praeter iuncturae rationem eo a prioribus differt, quod cochlearia eius ut vocantur non fenestrata sint, plura adhuc ad artem obstetriciam facientia instrumenta et utensilia aut primus inuenit aut saltem emendauit et perfecit \*) quorum vberiores descriptiones et iconismos ut variis suis scriptis ita nominatim in commentationibus Regiae Societatis ipse exhibuit.

At enim vero non satis ipsi erat tirones medicos tantum in empirica encheiresi obstetricia erudire et exercere, verum et iis solidiori fundamento nixam grauissimae disciplinae doctrinam tradere, cui quidem scopo in primis inferuiebat ditissimus praeparatorum anatomicorum et pathologicorum thesaurus, quem partim proprio et indefesso studio collegerat, partim magno aere aliorum coemerat et nunc in eundem usum filio JOANNI FRIDERICO paternae doctrinae et artis heredi felicissimo, collegae nostro coniunctissimo, legauit.

Quum autem praeterea in vniuersa qua late patet disciplina medica rite imbutus et versatus esset, scriptis quoque vix unum alterumne eius campum liquit intentatum \*\*).

\*) Conf. de pluribus eorum, v. c. de instrumento Osiandri dilatatorio et introductory, acu adoperta rumpendis velamentis inseruiente, hysterotomio, cliseometro, peluimetro, et statera ad examinandum neonatorum infantum pondus, praeter enchiridion artis obstetriciae, commentationum recentiorum Soc. Regiae vol. I. et III. et descriptionem sellae obstetriciae infra dicendam.

\*\*) Accuratum scriptorum eius indicem exhibet cl. SAALFELD I. c. p. 369 - 73. et 626 sq. quibus postea accesserunt adhuc (praeter varia prontuario Hannouerano a. 1820 et 21. inserta) sequentia:

Et quidem mirationem subit in omnibus eius scriptioribus infinita lectionis varietas, eaque non e libris tantum hausta proxime ad studia quibus se voverat facientia, sed magnam quoque partem ex promtuariis miscellis periodicis et plagulis ephemeredum publicarum, quas quidem non aliorum modo tantum obiter percurrere, verum sedulo excerpere et in horrea sua congerere solebat, ut si res postularet inde statim depromere posset.

Et si in his parergis passim eum *extra oleas vagari* videamus, sique subinde etiam iocos salesque admiscuerit quales quidem inter priuatos parietes et familiarium colloquia magis opportunum locum habere videri possunt seuero censori, quam in operibus de grauissimis disciplinis in quibus huiusmodi ornatum potius res *ipfa vetat contenta doceri*, QUINTILIANI tamen in *institutionibus* exemplum suo modo sequutus ideo ea admiscuisse videtur, ut scil. *hoc ipso alliceret lectores si ducti iucunditate aliqua lectionis, libentius discerent ea, quorum ne iejuna atque arida traditio auerteret animos, verebatur.*

Qui vero OSIANDRUM vnic ex scriptis suis et non ut quidem ego familiarius norunt, mirabuntur forte rixas et contentiones quas passim, et senioribus praesertim aetatis suae annis cum pluribus — ne dicam plurimis coaeuorum per Germaniam de arte obstetricia auctorum habuit.

65) *Veranlassung zu einer Reise nach Leipzig.* Tüb. 1820. 8.

66) *De respiratione, vagitu et vi vitali foetus humani inter partum ac confessim post illum series obseruationum, quae proximo vol. Commentat. recentior. Soc. Reg. Scientiar. continebitur.*

67) *Handbuch der Entbindungs-kunst.* II. Bd. 2te Abtheil. Tüb. 1821. 8.

68) OSIANDER's *Geburtsstelle.* ibid. eod. 8. c. fig. aen.

et 69) *CHRISTUS aufblickend zu seinem Vater und zu unserm Vater.* Götting. eod. 8.

Et ipse quidem pro meo ingenio ab omni litteraria lite alienissimo has collegae carissimi disceptationes semper inuitus valde et passim non sine dolore obseruauit. Attamen nec pauca nec leuia mihi sunt eas in eo quodammodo excusandi argumenta.

Primum enim ipsae hae controuerfiae magnam partem non tam versabantur circa theoreticas ut vocantur hypotheses quam super artis salutiferae ad levanda vitae humanae incommoda et ad sanitatem ipsamque vitam seruandam grauissimis quaestionibus.

Tum vero accedit quod in plerisque huiusmodi dissidiis noster ab aduersariis primo laceſſitus vnicē ſui defensor iniurias repellere et *parta tueri* fateretur.

Et si quandoque fauorabilem opinionem quam de vno alterō eorum antea habuerat, postmodum mutare viſus est, non statim ideo inconstantiae aut leuitatis taxandus, ſiquidem (ut ERASMI mei verbis vtar, quibus ſimilem reprehensionem ſibi factam abſtergit) *Si quis laudet vinum probum, an is post accusabitur vanitatis, si contingat vinum acescere?*

Cumque OSIANDRO eſſet temperamentum quod aiunt ſanguineo cholericum, hoc ipsum eum ab una parte non nimis providum deliberatorem multumque in posterum proſpicientem ſed genio ſuo facilius indulgentem, ab altera vero aliter ſentientium minus tolerantem et irae paſſim praecipitem reddidit.

Quo maiori autem pollebat facilitate ſcribendi eo minus datum ipſi erat criticas eiusmodi animaduertiones diutina circumſpectione in annum premere, et in his quoque ipsum illud conſilium ſequi quod tanquam ſymbolum 2<sup>do</sup> volumini enchiridii obſtricīi verbis TACITI praefixerat: “*compositius cuncta, quam festinantiū.*”

Quantum vero reuera abfuerit probifſimus vir ab omni animo hiſce controuerſiis alijs opinioni addictoſ vulnerandi, mihi quidem

vel exinde persuassimum est, quod et non semel neque admodum molliter de meis super variis quaestionum anatomicarum et physiologicarum sententiis iudicauerit; quem ceteroquin sincerissima amicitia sua et officioso quavis occasione inferuendi studio per 30 annos, et quod extremis quas ad me dederat litterulis adhuc sancte testabatur, ad ultimum vitae halitum candide seruata, amplexus est.

Quae OSIANDRO contigerat robusti corporis constitutio, quantum ad artis suae exercitium ipsi profuerit faciles dabunt eius periti qui norunt quantum virium in partu difficili expediendo, vel ad centenos subinde forcipis ope peragendos tractus requiratur, ut noctes taceam insomnes quarum eum ad quadraginta circiter et ultra quoquis anno dum hospitio obstetricio praefuit, peregisse scio.

Quamquam vero ex pluribus iam annis subinde variis afficeretur minoris grauiorisque interdum momenti aegrotationibus nullatenus tamen his indulgere aut ideo a multifariis quae ipsi incumbebant officiis se auocare passus est; verum strenue in iis persistit, quid quod et senioribus annis vix conualescens non unum et quidem satis longum iter, ad matronas extereras, grauiter decumbentes euocatus, instituerit.

Sub ingressum vero ultimi vitae anni, qui aetatis suae 63<sup>ius</sup> erat, quemque vulgo tanquam climactericum magnum pro ancipi et quasi decretorio habere solent, noster quoque non semel de eius in vitae humanae curriculo dignitate mecum colloquitus, sodalitio etiam nostro commentationem de eo arguento exhibere studuit, imo et iam lectulo constantius adfixus filio carissimo quem iam honoris caussa nominaui commisit ut eo scopo monographias quotquot de eo arguento in ditissima Georgiae Augultae bibliotheca afferuantur, conquireret.

Et quidem praeter haemorrhoides quibus pridem laborauerat, primum iam vere anni praeteriti diutino vexabatur diabete cum faucium siccitate et inexplebili siti coniuncto.

Morbo hoc, et si per interualla, longius serpente obseruabis simul erat in optimo viro singularis in quibusdam animi propensionibus mutatio. Frigus, ne dicam taedium, in rebus quibus hactenus cum voluptate delectabatur, ut florum et frugum cultura, tabularum pictarum quarum ipse numerum haud paruo aere fibi comparauerat contemplatio, imo vero quod longe magis dolendum videbatur, tacita quaedam in plures amicorum et familiarium dissidentia, utpote quos parcus inuiseret et praeter paclectiones et nosocomii indefessam curam se fere totum in cubiculo contineret litteris se inuoluens aut scribens aut legens.

Memorabile vero mihi accidit quod cari aegroti filius quem saepius iam laudaui, et quem inter medicos veteres in primis ARETAEUM maximi facere eiusque lectione valdopere oblectari pridem noram, cum eam animi quam dixi in patre mutationem mirarer, statim me moneret, magnum istum medicum Cappadocem inter affectiones diabeticorum nominatim et hoc referre quod *omnia fastidian, de omnibus dubitent.*

Sub anni quem viuimus initium scenam mutauit morbus in eo nunc praesertim notabilis quod aeger per integras senas hebdomas ex stomacho fastidente tam diurna corriperetur inedia, ut toto hoc tempore praeter potulenta ab omni victu solidiore plane abstinuerit.


Mentis integritatem quid quod et plerumque suetam hilaritatem ad ultimum usque diem qui 25<sup>us</sup> erat m. Martii seruauit intemeratam, ea quam toties in votis habuerat *euθavacia a summo numine beatus.* Cumque ante aliquot annos Salisburgi


versatus praeter alia carbonis lignei virtutem antisepticam et conservatricem in veterum Romanorum quae ibi eruuntur monumentis obseruasset, eamque ex itinere redux multifariis experimentis comprobasset, eaque ad varios usus paelectione in confessu sodalitii nostri habita commendasset \*), eandem et proprio funere vltro confirmare et quasi obsignare voluit, adeoque corpus exanime loculo commissum puluere carbonario fagineo condi iussit.


Magno quo fautores, amici, et auditores funus defuncti comitarunt numero, quam cara ipsis sit meritissimi viri memoria testati sunt, cui iam et ego cogitans quo amico, quo viro caream, pia et grata mente ex animo iterum iterumque dico OSIANDER vale, aeternum vale.

---

\* Cf. adhuc *Götting. gel. Anz.* 1821. p. 1151.









© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2011



**QPCARD 201**

